DE
ACTUUM IN PLAUTINIS FABULIS DESCRIPTIONE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET UNA CUM THEMATIS

DIE VII. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCLII.

PUBLICE DEFENDET

GUSTAVUS SCHMITZ
BONNENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

IOANNES VAHLEN, SEM. PHIL. SOD.
PAULUS GRAUTOFF, SEM. PHIL. SOD.
WOLDEMARUS HARLESS, SEM. PHIL. SOD.

BONNAE
FORMIS CAROLI GEORGII.
MDCCCLII.

Haud minimum incommodum, quo editiones nostrae Plauti et Terentii laborent, perversam multis locis actuum divisionem esse, facile perspiciet, qui paullo tantum attentius ad eam animum adverterit. Nam neque earum actionis partium, quibus natura sua fabularum argumenta dirimuntur, neque verisimilitudinis dictorum et factorum [1]) ubique ratio habetur; immo sunt loca, ubi ne primaria quidem Donati regula, debere in actuum finibus vacuam ab omnibus personis scenam esse, servata inveniatur: quorum omnium luculenta afferentur exempla, quum ad singulas pertractandas fabulas dispuatio processerit. Cogitantibus autem, quantum valeat recta actuum divisio et ad fabulas intelligendas et ad poetas aestimandos, non inutile videbitur, quod his pagellis perficiendum mihi proposui: ut ad persanandos ex hac parte comoediae Romanae principes aliquod periculum faciam.

1) Verisimilitudinem in eum sensum accipi volo, ut significet, ea quae loquantur aut faciant in scena personae, suo loco suoque tempore dici fierique, neque ita constituta esse debere, ut naturae et rationi repugnare videantur. Quamquam enim ineptum est postulare, quod quosdam fecisse reperio, (cf. Lessing, Kritik der Gefangenen des Plautus) ut actioni, quae extra scenam agi vel potius acta cogitari debeat, cf. p. 7 sq.) idem temporis spatii relinquatur, quod ad eam revera perficiendam necessarium sit; tamen nimium patientiae et credulitatis spectatoribus is tribuit, qui, speciem adeo veritatis aspernens, ne alia commemorem, personam abeuntem et confecto longinquo negotio, statim redeuntem facere velit, quod ubi aut quando confectum sit, nemo sibi explicare possit.

Mirandum sane est, quod actuum divisio, quam multis locis falsissimam esse vix credi possunt editores non intellexisse, per tria saecula criticorum obelis intacta remansit. Singuli tantum, ut Dacieria, Roosius alii, singula emendaverunt, sed amplectens omnia, quae huc spectant, recensio Plauti et Terentii adhuc desideratur. Rem quidem aggressus est Bothius in ea Plauti editione, quae 'in usum elegantiorum hominum' prodiit Berolini 1809—11; sed insigni in illa monstravit exemplo, quanta sit ipsius in factitanda arte critica inconstantia, quum eandem, quam in nonnullis fabulis in actus dividendis probabilem secutus sit regulam, in aliis aut neglexerit aut violaverit. Terentii fabulas tractavit *G. A. B. Wolffius* in altera earum dissertationum, quas „de actibus apud Plautum et Terentium“ inscriptas Gubenae a. 1813—14 edidit; qui quamquam multa recte vidit, tamen, quod summum est, quae ratio et via in actibus constituendis sequenda sit, nequaquam nos docet; sed leviter tantum grammaticorum praecepta tangit, quae non semper recte eum intellexisse ea indicio sunt, quae pag. 8. de Donati lege a Plauto magis quam a Terentio servata profert. Neque diligentior ad emendandam actuum divisionem fuit opera scriptoris eius libelli, qui „de actuum et scenarum ratione apud Plautum et Terentium“ inscriptus exstat sub finem Terentii Bothiani; de quo satis ample *Wolffius* iudicavit: et *Boettigeri* in dissertatione „de quattuor aetatibus rei scenicae apud Romanos,“ Vimariae a. 1798 edita.

Postremus tempore, primus autem auctoritate et meritis commemorandus est *Ritschelius*, qui in epimetro dissertationi „de pristina Bacchidum Plautinarum forma“ adiecto (Nov. Mus. Rhen. philol. IV. p. 354 sqq. 567 sqq.) principales quasdam actuum constituendorum leges et proposuit, et exemplo luculento probavit.

Hi sunt, quantum equidem scio, qui de actibus eorumque ratione scripserunt; quibus enumeratis, iam ad ea, quae nobis de hac materia dicenda sunt, transeundum videtur.

Fabulas suas veteres comicos in actus divisisse, omnium, quorum de hac re scripta exstant, grammaticorum testimoniis constat. Etiam de numero actuum ad unum omnes consentiunt: quinarium enim iustum et legitimum esse perhibent. Donatus in comment. de trag. et com., postquam choro latinos comicos locum non reliquisse exposuit, „unde apud illos actus quinquepartitos dirimere difficile est" addit. Idem in praef. ad Adelph.: „haec etiam, ut caetera huiuscemodi poemata, quinque actus habeat necesse est," neque his dissentiens Horatius ep. ad Pis. 189:

Neve minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quae posci vult, et spectata reponi [2].

Huius autem divisionis in veterrimis nostris Plauti et Terentii codicibus manuscriptis nullum invenitur vestigium, neque qui Donato ceterisque illius temporis grammaticis praesto erant libri, ullam eius praebuerunt notam; nam si praebuissent, quae illis causa fuisset de difficultate actuum divisionis tot verba faciendi? [3]) Superposita tantum singulis scenis agen-

---

2) Colligendum fortasse cuiquam ex hoc Horatii loco videtur, exstitisse fabulas quinarium actuum numerum excedentes. Quod equidem neque pro certo affirmare, neque omnino negare ausim; sed quum Horatius hoc loco de omni re dramatica in universum praecipiat, tragoediam et comoediam palliatam in obtinendis quinquepartitis actibus semper sibi constitisse arbitror, relicta ceteris fabularum generibus hunc numerum deficiendi vel excedendi facultate. Nulla enim exstat Plauti Terentiive fabula, quae sex actibus dividatur necesse sit; quamquam *Kueffnero* in sua Amphitruonis versione hic numerus placet, et *Ritschelius* in principio secundi *Bacchidum* actus sex actibus divisam fabulam non reformidandam putat.

3) Donat. de trag. et com.: „unde apud latinos comicos dirimere actus quinquepartitos difficile est." Id. arg. Andr. „Unde autem, aut quomodo, quamvis aegre, tamen intelligi distinguique possint actus, est operae pretium dicere." Id. praef. Eun.: „Actus sane implicatiores sunt in ea, et qui non facile a parum doctis distingui possint."

tium in iis vel loquentium personarum nomina libri habent; quas scenas in eam, quae nunc in usu et, multis locis falsissimam actuum formam composuisse J. B. Pium et Iuntinae editorem testatur *Ritschelius* l. l. p. 597. Et quum omni homini cogitare scienti, ubi perversi ac vitiosi quidquam animadverterit, corrigendi eius innata sit cupido; nos optimo utimur iure, illud, quod falsum cognitum sit, e poeta nostro auferre studentes, praesertim quum ne codicum quidem auctoritate nitatur illud vitium, sed 'perversi alioqui hominem iudicii' auctorem habeat.

Sed priusquam ad ipsum hoc propositum aggredi poterimus, consideranda sunt, quae veteres praecepta vel commenta reliquerunt. Atque ea quidem, quae, quamquam perpauca, secunda fortuna nobis servavit, e posteriore demum aetate originem duxerunt; auctores enim iis sunt Donatus, Diomedes et Euanthius, qui secundum Hieronymi chronicon floruerunt circiter Olymp. CCLXXXV. Neque tamen dubitandum est, quin iam ante Augusti tempora viri docti hanc materiam tractandam sibi sumpserint; inter quos Donatus in arg. Hec. Varronem nominat *); in argumento autem Andriae et in praefatione ad Adelphos loquitur de „antiquis" et „doctis veteribus," qui in actibus dividendis eiusque divisionis legibus statuendis elaboraverint. Sed contenti simus oportet

*) Exstat in libro quodam manuscripto, Origenis praefationem ad Genesin continente, quem bibliotheca Atrebatensis asservat, index scriptorum Varronianorum, ad comparandam Origenis et Varronis *πολυγραφίαν* (sit venia verbo) ab Hieronymo compositus, de quo plura disseruit *Ritschelius* in commentatione „die Schriftstellerei des M. Terentius Varro" inscripta (Nov. Mus. Rhen. philol. t. VI. p. 481 sqq.). Commemorantur in illo indice, ut alia omittam, „de actis (emend. actibus) scenicis" libri tres, in quibus non solum actuum divisionis leges expositas, sed in plurimis etiam fabulis eam divisionem revera factam fuisse suspicatur idem vir celeberrimus ibid. p. 518. 519.

iis, quae ferrea nobis tradidit aetas, quum praeter unum Varronis, aliorum ne nomina quidem comperta habeamus.

Ac primum quidem, quae Donati nomen ferentia nostram aetatem tulerunt, farraginem esse animadversionum a diversis conscriptarum, nemo est, qui nesciat. In commentatione de trag. et com. potissimum secutus est Euanthium, quem in Terentianorum interpretum numero fuisse auctor est Rufinus Antiochensis de metris comicis libello (p. 2713 P.); quod iam *Lindenbrogium* (observatt. in Donati commentat. de trag. et com.) intellexisse reperio. Magna autem incuria et negligentia conscripta est illa commentatio; quod satis probaverit locus de partibus comoediae („comoedia per quattuor partes dividitur" e. q. s.) verbotenus fere paullo post repetitus, vel in principio, Graecorum comoedia commutata cum Romanorum satura. Cautione igitur opus est in adhibendis iis, quae Donatus praecipit.

De Euanthio nihil habeo addendum, nisi quod iisdem eum cum Donato temporibus, h. e. Olymp. CCLXXXV regnante Constantio Constantini filio floruisse, neque male audisse inter viros doctos notat Hieronymus.

Diomedes, aetate suppar Charisio, quem maximam partem descripsit, in tertio libro commentationis suae '*de oratione, de partibus orationis et de vario metrorum genere*' nonnulla edocuit ad comoediam Romanam spectantia, quae infra posui: „Latinae vero comoediae chorum non habent, sed duobus tantum membris constant, diverbio et cantico. Primis „autem temporibus, ut asserit Tranquillus, omnia, quae in scena „versantur, in comoedia agebantur. Nam pantomimus et pythaules et choraules in comoedia canebant. Sed quia non „poterant omnia apud omnes artifices pariter excellere, si qui „erant inter actores comoediarum pro facultate et arte potiores, principatum sibi artificii vindicabant. Sic factum est, „ut, nolentibus cedere mimis in artificio suo ceteris, separatio fieret reliquorum. Nam dum potiores inferioribus, qui „in omni ergasterio erant, servire dedignabantur, se ipsos a

„comoedia separaverunt, et sic factum est, ut exemplo semel „sumpto, unusquisque artis suae rem exsequi coeperit, neque „in comoediam venire. Cuius rei indicia produnt nobis an-„tiquae comoediae, in quibus invenimus: acta tibiis paribus, „aut imparibus, aut Sarranis; quando enim chorus canebat, „choris tibiis, i. e. choraulicis, artifex concinebat; in canti-„cis autem pythaulicis responsabat.“ Ex hoc loco, quod ad ipsam actuum divisionem pertineat, tractandam nobis propositam nihil fere discimus, nisi quod assentiat Diomedes iis quae a Donato vel potius ab Euanthio tradita habeamus, choro comoediam Romanam omnino caruisse. Quae sequuntur, ad historiam comoediae magis spectantia missa facio praesertim quum uberrime tractata sint a *Wolffio* inde a p. 10 dissertationis primae. De canticis conferas, si placet *Boettigeri* 'de quattuor aetatibus rei scenicae apud Romanos' libellum, iam supra laudatum, et *G. Hermannum* contra illa disputantem in dissert. 'de cantico in Romanorum fabulis scenicis.' Lips. 1811. (opusc. I. p. 290 sqq.).

Iam ea, quae Donatus et Euanthius de actuum ratione docent, disputanda sunt curiosius. Ac primum quidem alte repetens Euanthius apud Donatum de trag. et com. nonnulla de origine consuetudinis, qua poetae veteres fabulas suas in actus diviserint, tradit: „Comoedia vetus, ut ab initio chorus „fuit, paullatimque personarum numero in quinque actus pro-„cessit [4]): ita paullatim velut extrito et extenuato choro ad „novam comeodiam sic pervenit, ut in ea non modo non in-

4) Quid haec sibi velint Euanthii verba: „paullatimque personarum numero in quinque actus processit,“ non perspicio. Ulla si umquam intercessit ratio inter quinque actibus divisam fabulam et quinarium personarum numerum, quibus una in scena vere inter se colloqui comoediae leges permiserint, hanc legem profecto verisimilius est ex quinque fabulae actibus ortam esse, quam quinarium actuum numerum ex eodem personarum. Ceterum nihili aestimanda talia extranea censeo, quorum quaerendorum atque utendorum studiosissimi inveniuntur grammatici.

„ducatur chorus, sed ne locus quidem ullus iam relinquatur „choro. Nam postquam otioso tempore fastidiosior spectator „effectus, tunc, quum ad cantores ab actoribus fabula trans- „ibat, consurgere et abire coepisset, admonuit poetas, primo „quidem choros praetermittere,. locum eis relinquentes; ut „Menander fecit, hac de causa, non, ut alii existimant alia [5]. „Postremo ne locum quidem reliquerunt; quod Latini fecerunt „comici, unde apud illos dirimere actus quinquepartitos dif- „ficile est."

Quum neque hic apud Euanthium, neque alicubi apud ceteros grammaticos actus notio certis finibus circumscripta inveniatur, paucis in eam accuratius inquiramus. Non est ullum argumentum dramaticum, in quo omnes partes et quasi elementa, quibus compositum sit, gravitate et auctoritate pariter sibi respondeant. Nonnumquam etiam ea, quae per se gravissima sunt, aut sua natura scenicam actionem non patiuntur, (quorum exempla Horatius ep. ad Pis. 185 sqq. affert) aut propter causas ex ipsius rei scenicae conditionibus ortas coram populo agi nequeunt, qualia v. c. habes in Mostellaria Plautina act. III, sc. 2 extr. Contra non desunt, quae, si in proscenio fierent, oscitantes ac dormitantes redderent spectatores. Haec omnia 'digna intus geri,' ut ait Horatius, „mox narret facundia praesens." Itaque necessarium est, ut, dispectis undique omnibus argumenti partibus et pro sua quibusque gravitate distinctis, accuratam earum censuram instituat poeta, et omissis levioribus, capita tantum rerum, apte et facete inter se coniuncta, in scenam proferat: et ab his, quae dixi, rerum capitibus, quae in scena agantur, haud improbabile est, actus nomen invenisse. Neque tamen omnia, quae per se

---

5) De omisso iam in vetere Graecorum comoedia choro vide quae leguntur apud *Meinekium* hist. crit. Com. Graec. p. 42. et *Bernhardium*, Grundriss der griech. Litt. II. p. 631; qui mediae quoque comoediae propter tristissimam rerum publicarum conditionem resque domesticas civium belli Peloponnesiaci miseriis maxime exhaustas chorum fuisse negat p. 1001.

levioris momenti sunt, licet omittere quum saepissime ad graviora illa inter se coniungenda et ad obtinendum actionis nexum abesse nequeant: immo fieri debent, sed extra scenam, ne otio taedioque tabescat spectator. Simplicissima igitur omnium argumenti partium bene recteque disponendarum ratio ea poetis accepta est, ut aut minus graviora illa tanquam extra scenam acta spectatori narrarentur [6]), aut ita actio institueretur, ut ex iis, quae coram se fierent, illa facta esse quisque concludere deberet. Illud autem minime negligendum putaverunt poetae, ne quid fraudi sit iis, quae verisimilitudo rerumque natura praescriberent; quo factum est, ut inter actus pausae constituerentur, in quibus leviora fieri vel facta esse spectator sibi persuaderet.

His disputatis, redeo ad Euanthii locum, quem modo exscripsi. Et is quidem postquam de origine comoediae pauca disseruit, causam nos edocet, cur in novam comoediam chorus non sit inductus, (quo veterem comoediam ad dividendos fabularum actus usam fuisse Donatus testatur praef. Adelph.). Cui testimonio num sit fides habenda, hac nihil refert; maioris momenti sunt, quae in proximis tradit grammaticus, primo quidem poetas choros praetermisisse, *locum eis relinquentes*. Quod in eum sensum accipiendum mihi videtur, ut in actionibus scenicis chori locum pausa occupaverit, quae, si voluerit populus, choris expleri potuerit; sin vetuerit, recreationi actorum, cantui tibicinum vel sermonibus spectatorum fuerit destinata (cf. loci ab *Hermanno* opusc. I. 291 laudati). Sed in libris quoque scriptis choro locum relictum fuisse minime inde concludi potest; quis enim putet, poetas carminibus faciendis operam dedisse, quae non fore, ut canerentur, quam verisimillimum esset; praesertim quum e tanta

---

6) Cf. Horat. ep. ad Pis. 179. Graecis quoque poetis tragicis hanc rationem placuisse inde apparet, quod *ἀγγέλων* vel *ἐξαγγέλων* partes nonnumquam protagonistae mandatae erant, ut in Sophoclis Antigona.

comoediarum copia non difficile esset eligere carmen non alienissimum ab argumento fabulae, si praeter exspectationem evenisset ut chorum populus posceret.

Quae porro docet Euanthius, apud latinos comicos choro locum non relictum esse [7]), ad scriptos fabularum libros pertineant necesse est. Quod qui concedere nolit, explicet haec verba: „unde apud illos dirimere actus quinquepartitos difficile est;" quae luculentissime demonstrant, de scenica actione cogitari non posse. In agendis enim fabulis actuum fines aulaeo vel sipario sublato indicabantur; (cf. *Wolff.* Diss. I. p. 31.) grammatici autem, quorum unus hic loquitur, in eo tantum elaborabant, ut libros scriptos critica arte tractarent vel auditoribus suis interpretarentur. Omnino grammaticorum doctorumque ordo putandus est ab omnibus litterarum studio alienis remotum se habuisse, ac fugisse consuetudinem profani vulgi; ita ut certo operae pretium non putarint, mentionem tantum facere difficultatis, quam spectanti populo diremtio actuum quinquepartitorum exhibeat, etiam si ea in ipsa actione scenica non fuerit facta. Immo quum in libris suis non indicatum invenirent, ubi esset actus finitus, sine eiusmodi nota quinquepartitorum actuum diremtionem difficilem esse intellexerunt. Hunc locum ita interpretandum eo magis est probabile, quod optime cum eo consentit vetustis-

---

7) Choro usam esse Romanam comoediam minime inde concludere licet, quod choragus commemoratur Pers. I. 3. 79, et in scenam adeo prodit Curc. IV. 1. Uterque enim locus ostendit, choragum vestibus, ornamentis et omni apparatui, quo utebantur histriones, praefectum fuisse; sub imperio igitur fuit Aedilium vel Praetoris, quibus quum ludorum faciendorum, tum parandi illius apparatus scenici cura mandata erat. *Χορηγίαν* autem, qualem Athenienses, Romani numquam habuerunt. Graeco nomine eum appellatum esse, eo explicari potest, quod omnibus ex partibus perfectam certisque legibus circumscriptam rem scenicam a Graecis acceperunt Romani, neque usitata apud illos nomina mutare voluerunt.

simorum nostrorum librorum conditio, de qua supra dictum est.

Respexisse videtur hunc Euanthii locum, quem suum fecerat, Donatus, qui in arg. Andr. haec dicit: „Divisionem „actuum in latinis fabulis internoscere difficile est; causam „iamdudum demonstravimus.“ Nam neque in grammaticis eius scriptis, neque in commentariis ad Terentii fabulas leguntur, quibus illa demonstratio facta sit. Quae sequuntur, eo consilio sunt dicta, ut indicetur, '*quomodo*, *quamvis aegre*, *tamen intelligi distinguique possint actus*': „principio dicendum est, „nullam personam egressam quinquies, ultra exire posse“ et paullo post: „Posse autem quinto egredi personam, non et „necesse esse dicimus; ut appareat, ultra exire non posse.“ *Wolffius* hunc locum ita interpretatus est, quasi dicat grammaticus, in quinque ad summum scenis personam loqui et agere posse, neque distinguendum putet, utrum de proscenio recesserit interea persona et denuo prodiens loqui inceperit, an per plures scenas se excipientes loquens agensque remanserit. Quod discrimen permagni facere Donatum ex iis colligere debuit, quae paullo post adduntur: „Confundit saepe lectorem „id, quod persona in superiori scena desinens, et in proxima „incipiens loqui non intelligitur egressa;“ quae sane eo spectant, ne de numero, quoties sit egressa et ingressa persona, fallatur, eaque de causa prohibeatur lector, quominus actuum fines recte constituat. Plane autem cum *Wolffio* sentio, hanc Donati regulam nihili aestimandam iudicante; nam nullo modo ex ea certi constitui possunt actuum fines, sed eiusmodi tantum aliquid significatur quod, si forte migraretur, vitiosum foret.

Quod porro praecipit Donatus: „Est igitur diligenter „animadvertendum, ubi et quando scena vacua sit ab omni„bus personis, ut in ea chorus vel tibicen audiri possit; quod „quum videmus, ibi actum esse finitum debemus agnoscere,“ eo tantum valet, ut, ubi actus finitus sit, scena debeat vacua esse, neque tamen, ubi vacua scena reperiatur, ibi quoque

actum finitum esse statuendum sit [8]: quod ipse affirmat Donatus iis, quae scripit in arg. Adelph. verbis: „deinde etiam „illud, in eundem actum posse coniici et tres et quattuor sce„nas introeuntium et exeuntium personarum.“ Eam vim si haberet illa regula, omnibus in fabulis quinarius actuum numerus longe excederetur. Sunt enim fabulae, et eae potissimum Plautinae, ubi novies vel decies scena ab omnibus personis vacua fiat; quod sine dubio respiciens grammaticus, eo, quod addidit, „ut in ea chorus vel tibicen audiri possit,“ certioribus finibus legem suam circumscriptam esse voluit. Sed prudentius sane hic tacuisset magister, quum haud facile quidquam inveniatur hoc additamento infelicius, ne dicam ineptius. Nam si refertur ad scenicam actionem, supervacaneum est atque logicis repugnat, quum, quod revera consequens est, causa esse perhibeatur; sin vero ad libros scriptos illa pertinere mavult quispiam, is ullam velim ostendat viam, qua eorum significatio intelligi possit. Cuivis enim, quum nullam in libris actuum vel auditi tibiarum cantus notationem invenisset, ex suo arbitrio, ubi scenam ab omnibus per-

---

8) Cf. *Ritschl,* Die ursprüngliche Gestalt der plautin. Bacchides. N. Rh. Mus. philol. IV. p. 598.: „Im Wechsel der Personen, so dass „die Bühne leer ist, liegt an sich nur die Möglichkeit eines Act„schlusses; zur Nothwendigkeit wird dieselbe erst dann, wenn „entweder innere Gründe zu jener äussern Bedingung hinzukom„men, oder wenn diese selbst von besonderer Beschaffenheit ist. „Sehr zu unterscheiden ist nämlich zwischen einem völligen „Leersein der Bühne, welches eine Weile andauern müsste, und „dem augenblicklichen Leerwerden, wenn unmittelbar hinterein„ander, ja fast gleichzeitig, die eine Person abtritt, und die an„dere von einer andern Seite her auftritt, wohlverstanden, ohne „dass sie einander begegnen oder auch nur sehen. Der erste „Fall würde allerdings die Fortdauer desselben Actes ausschlies„sen, so müssige Pausen hat man nicht gestattet; der andere „Fall dagegen steht solcher Fortdauer nicht im Mindesten ent„gegen.“

sonis vacuam factam animadvertisset, tibicinem auditum eaque de causa actum esse finitum statuere licebat.

Breviter si comprehenderimus, quae hic disputata sunt, hanc esse Donati praeceptorum summam inveniemus: primum, ne quae persona plus quinquies eodem in actu scenam relinquat et denuo ingrediatur; et deinde, ubi actus finitus sit, scenam ab omnibus personis vacuam esse debere. Quarum regularum haec in rerum natura posita est; illa ea tantum de causa memorabilis videri possit, quod inde quidam collegerunt fuisse fabulas, in quibus minus diligenter ea regula servata fuerit, quam in superstitibus Plauti et Terentii fabulis servatam eam videamus.

Quum ad hoc usque loci nonnisi negandi et reiiciendi potestas nobis data sit, iuvat afferre unicum fere locum, ubi non modo non redarguendus, sed plane approbandus appareat Donatus. Leguntur autem summa illa auctoris auctoritate commendata verba in arg. Hec.: „Docet autem Varro, „neque in hac fabula neque in aliis esse mirandum, quod „actus impares scenarum paginarumque sint numero, quum „haec distributio in rerum descriptione, non in numero ver- „suum constituta sit, non apud Latinos modo, verum etiam „apud Graecos ipsos.“ Quibus per se planissimis nihil habeo quod addam; nisi quod iure mirandum puto tantae, quantae Donatum fuisse constet intelligentiae ac eruditionis virum, in illa, quam proposuerit, prope mechanica actuum dividendorum ratione acquievisse, neque ullam a Varrone commemoratae, '*rerum descriptionis*' rationem habuisse.

Postremo non praetermittenda censeo, quae Donatus in praef. ad Adelph. de hac fabula dicit: „haec etiam, ut cetera „huiuscemodi poemata, quinque actus habeat necesse est, „choris divisos a Graecis poetis; quos etsi retinendi causa „iam inconditi spectatoris minime distinguunt latini comici, „metuentes scilicet, ne quis fastidiosus finito actu, velut ad- „monitus abeundi, reliquae comoediae fiat contemptor et sur- „gat; tamen a doctis veteribus discreti atque disiuncti sunt.“

Ad posteriorem haec comoediae aetatem referenda esse videntur, corrupto iam populi sensu mimis aliisque ludis scenicis vel Circensibus, in quibus ipsi Caesares, Suetonio teste, partes suscipere non dedignarentur, plausumque sibi exagitarent; referri enim ad ipsa Terentii tempora, '*iam*' particula vetat, qua id tantum tempus significari potest, quo Romanorum elegantiam et eruditionem iam magna ex parte eversa videamus, minime autem id, quo coeperint demum e Graecis fabulis latinisque earum imitationibus voluptatem capere. Consuetudinem autem non distinguendi actus Terentii iam tempore in usu fuisse si quis contendere volet, eo nisus argumento, quod inter primos tres Andriae actus non solum nulla causa sit, cur intercesserit pausa, verum etiam, ut uno tenore eos actos esse accipiamus, et extrema scenarum verba et actionis nexus cogant: ei ut obloquamur, duo potissimum argumenta commovere nos possunt. Primum, ut qui exstat alter eiusdem Andriae exitus, e posteriore fabulae recensione originem duxit [9]), ita ea loca, unde tres primos actus uno tenore peractos esse revera consequitur (I. 5. extr. II. 6. extr.) [10]) non minus probabile est e posteriore recensione profecta esse. Dein veri absimile non est Terentium

---

9) Cf. *Ritschl*, de gemino exitu Andriae Terentianae. parerg. Plaut. I. p. 583 sqq.

10) I. 5. 66 Pamphilus in scena remanet, postquam Mysidem dimisit; (fortasse hic excidit 'monologus vel canticum, quo finito se abiturum indicet Pamphilus, ut in comoediis fieri solitum est) et tertium actum nulla intercedente pausa extremam secundi scenam excepisse, ex Donati verbis consequitur, quae ad II. 6. 16 adscripsit: „Quidnam hic volt veterator sibi: „Veterator est vetus in „astutia, et qui in omni re callidus est. Et hi duo versus ostendunt, pulsatum esse senem argumento falsarum nuptiarum: illo „argumento, quod ait, paullulum obsonii: tamquam se illuderet „Davus. Sunt ergo verba, ut diximus, secum cogitantis senis, „aut de his, quae nunc Davus locutus est, *aut de adventu mulierum, quae in scenam veniunt modo.*“

in hac prima, quam ediderit, fabula consulto primos tres actus velut unum fieri voluisse, ut retineret spectatores, redderetque sibi propitios.

Haec habet Donatus; quae si in compendium redacta vis, tria potissimum se offerunt, quibus Carthaginiensis grammatici de actuum ratione consistat disciplina. Praemisso enim, quod inter omnes constat, in quinque actus comicos Romanos fabulas suas divisisse, primo loco personam eodem in actu plus quinquies de scena abire et denuo ingredi posse negat; deinde, ubi scena vacua sit ab omnibus personis, ita ut in ea chorus vel tibicen audiri possit, ibi actum finitum esse docet; tertium denique est, quod Varronis auctoritate nititur, actus scenarum paginarumque numero pares sint non necesse esse. Quae omnia quam parum sufficiant ad nos de via ac ratione, qua actuum divisio aut a veteribus facta, aut a nobis facienda sit, edocendos quum satis demonstrasse mihi videar, quaerenda nobis restant, quibus manca illa grammatici praecepta suppleantur. Placet quidem aliqua ex parte, quemadmodum legem a Donato latam velit *Wolffius*, qui Diss. II. p. 2 haec „dicit: „ubi et quando scena vacua existit ab omnibus per„sonis, simulque per verisimilitudinem quandam de actionis „intercapedine et pausa, sive haec sit in scena tantum coram „spectatoribus, sive ad ipsam actionem pertineat, cogitari „potest, ibi actum finitum esse debemus agnoscere." Sed is non omnia, quorum ratio haberi debuit, satis respexit; quod quum a *Ritschelio* factum esse videam, integram eius sententiam, qua tandem diiudicata difficilis sane illa de actibus dividendis quaestio sit, hic adscribendam existimavi. Legitur ea in novi Musei Rhen. philol. vol. IV. p. 597: „Mit der miss„verstandenen Regel der scena ab omnibus personis vacua „kommt man nicht weit; sie hat nur negative und bedingte „Kraft; wer ihr positive beilegt, kann für manches Stück „leicht zehn Acte herausbringen, und wer sie zum ausschliess„lichen Criterium macht, muss die grössten Widersinnigkeiten „zulassen, wie das auch bei den Bacchides geschehen ist. Die

„entscheidenden Gründe liegen in den Sachverhältnissen, in „dem Fortschreiten der Handlung, in den Gesetzen der Nach„bildung zur Bewirkung der Illusion, d. h. in der Erwägung „dessen, was die Bedingungen des wirklichen Lebens, oder „auch der psychologischen Motivirung nothwendig machen „oder ausschliessen, wenigstens als überwiegend wahrscheinlich „oder unwahrscheinlich erkennen lassen. Es sind meist sehr „einfache Ueberlegungen, die zum Ziele führen; nur dürfen „sie keinen noch so geringen Umstand, keine noch so bei„läufige Andeutung des Stückes selbst übersehen oder oben„hin behandeln, und müssen sich jede Situation aus den ge„sprochenen Worten und der Natur der Sache bis ins kleinste „Detail veranschaulichen."

His viri clarissimi verbis quum dubitationi nullus omnino relinquatur locus, pauca tantum habeo, quae iis addenda videantur, eo quidem consilio, ut Romanae comoediae origo et poetarum artis genus, et ut ita dicam componendarum fabularum modus quam vim habeant in actuum divisionem recte faciendam breviter exponatur. In universum primum dicendum est, ut omnia fere, in quibus elaboraverint, artium et disciplinarum genera a Graecis acceperint, ita etiam comoediam omnibus e partibus perfectam certisque artis legibus atque normis moderatam Romanos accepisse. Nam quum non sit dubium, quin principio latini poetae ad verbum fere expresserint exemplaria Graeca, (quod a se factum Terentium non puduit fateri prol. Adelph. 11.) una cum argumentis extraneas quoque formas, imprimisque actuum divisionem ad Romanos translata esse verissimillimum videtur; quamquam actuum apud eos, qui de comoedia Graeca retulerunt, mentio nusquam fit, sed ubi in eius partes sermo incidit, nominibus a tragoediae partibus sumptis utuntur. Argumenta deinde palliatae fabulae, quam Cicero imitationem vitae, speculum consuetudinis, imaginem veritatis appellat, in domesticae privataeque vitae moribus describendis versari constat; inter quae quamquam magnum non potuit intercedere discrimen, tamen

Plautina eorum tractandorum ratio mirum quantum dissimilis est eius, quam Terentium secutum esse videmus. Plauti quidem temporibus nondum eo eruditionis progressus erat populus, ut e subtili et accurata morum descriptione, quam ἠθοποιΐαν Graeci dicunt, e perfecta ab omnibus partibus fabularum oeconomia et actibus implicatioribus voluptatem capere posset. Simplicibus igitur argumentis plerumque utitur poeta, omnemque operam in sermonibus collocat, in quibus ita excelluit, ut *Musas, si latine loqui vellent, Plautino sermone locuturas esse* veterum virorum doctorum aliquis dixerit. Idem Varro testatur apud Nonium v. poscere: „in argumentis Caecilius poscit „palmam, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus.“ Itaque argumenta eius plane perspicere atque ex eorum natura, ubi interrumpi actio debeat, constituere non difficile est. Accedit huc, quod obtinendae eorum verisimilitudinis, quae in scena dicantur et agantur, studiosissimus reperitur poeta, cuius omnino novam comoediam diligenter rationem habuisse iam monuit *Ritschelius* l. l. p. 599. Contra apud Terentium, qui pressius exemplaris Graeci vestigia secutus est, idque actione et personis augere (vide quae de duplicibus amoribus Donatus tradit in comment. de trag. et com.) et contaminando amplificare implicatiusque reddere studuit, omnino artificiosa fabularum compositione populo placere voluit (Horat. ep. II. 1, 59) apud Terentium igitur singulae actionis partes atque actus quinquepartiti difficiliores sunt ad internoscendum. Nonnumquam autem ipsa actionis amplificatio actibus dividendis prodest, ut in Andria II, 1. ubi Charini et Pamphili colloquio alteram fabulae partem ostendi Donatus docet.

Restat, ut quae de scenis dicenda sunt paucis absolvantur, de quibus e veteribus unus Diomedes nonnulla tradit. Et is quidem de ipsis scenis ut minoribus actuum portionibus, (quae Scaligero placuit definitio) non loquitur, sed leges tantum in diverbiis observandas statuit, quibus cum canticis fabulas compositas esse testatur. Quoniam autem scenae aeque ac diverbia diversarum personarum colloquiis consistunt, (eo

tamen discrimine, ut et canticum possit scena esse) non minus ad eas, quae de diverbiis dicta sunt, quam ad haec ipsa pertinere censeo. Ecce grammatici verba (p. 488). „In „Graeco dramate fere tres personae solae agunt, ideoque Ho„ratius ait: nec quarta loqui persona laboret, quia quarta „semper muta. Et latini scriptores complures personas in „fabulas introduxere, ut speciosiores frequentia facerent.“ Et paullo post p. 489: „Membra comoediarum tria sunt, diver„bium, canticum, chorus. Membra comoediae diversa sunt, „definito tamen numero continentur, a quinque usque ad de„cem. Diverbia sunt partes comoediarum, in quibus diverso„rum personae versantur. Personae autem diverbiorum aut „duae, aut tres, raro autem quattuor esse debent; ultra au„gere numerum non licet.“ Summa eorum, quae profert Diomedes, haec est, ut ad summum quattuor in una scena loqui debeant personae. Sed quum nulla fere sit fabula, in qua haec regula servata reperiatur, reiiciendam eam censeo, praesertim quum nihil pertineat ad eam, quae nobis tractanda est, quaestionem: eam scilicet, ut certa inveniatur via, qua in dividendis scenis insistendum sit. Quamquam enim ad intelligendas fabulas non magni momenti est haec scenarum divisio, neque ipso poeta auctore facta, tamen, quum antiquitus tradita sit, recentioris aevi viri docti retinendam eam putaverunt. Mirandum autem est, quod in ea tralaticia divisione acquieverunt, quam summa et paene incredibili licentia et sine omni certa lege factam esse neminem possit effugere; quod iam monuit *Lessingius*, Kritik der Gefangenen des Plautus. Sed nostris hic nihil opus est verbis, quum exploratissimum habeamus summi Plautinarum rerum arbitri iudicium toto animo amplectendum; cuius verba haec sunt: (l. l. pag. 607): „Im Allgemeinen, (denn besondere Fälle können be„sondere Modificationen erheischen) ist ein vernünftiges Prin„cip offenbar dies, dass neue Namenüberschriften da gemacht „werden, wo neue Personen auftreten, dagegen keine, wo „nur welche abtreten, aber zurückbleibende, (oder ein Zurück-

„bleibender) zu sprechen fortfahren. — Dass aber, wo die „Personen ganz und gar wechseln, immer, wo sie ganz die- „selben bleiben, niemals eine neue Scene beginne, sollt man „für völlig ausgemacht halten.“

Iam vero, ut ex iis, quae hic disputata sunt, quantuluscunque ad Plautum redeat fructus, in nonnullis eius fabulis emendandae falsae actuum divisionis propositum est periculum facere, qua medii aevi editores comoediae principem commacularunt. Omittere visum est iam a *Wolffio* in altera dissertatione tractatas fabulas, nec non eas, quae ex recensione *Ritschelii* antiquarum litterarum studiosis in promptu sunt; quas ex hac quidem parte praeclarissimi viri opera plane sanatas esse, qui volet, facile intelliget. Restant igitur, quae in examen vocentur, Curculio, Casina, Cistellaria, Epidicus, Mostellaria, Mercator, Poenulus, Persa, Rudens, Truculentus; ad quas pertractandas iam transeundum est.

Curculio.

Huius fabulae argumentum quum sit simplicissimum, mirum est, quod in dispiciendis singulis eius partibus erraverunt editores, quum actum quartum a IV, 1, inceperint, ubi dolus a parasito excogitatus nondum ad finem sit perductus. Illud enim potissimum tenendum est, eas, quas actus complectantur actionis partes, in se clausas esse, et quasi actionem in actione continere debere; quibus bene inter se coniunctis efficitur Aristotelicus ille *μῦθος εἷς*, (poet. 8) sicut in unam picturam singulae imaginum coniunctiones coalescunt. Quodsi in nostram fabulam transferimus, tertium actum usque ad IV, 2 extr. continuari debere apparebit; quo facto, singulae partes actionis singulis fabulae partibus, quibus absolvendae sunt, optime conveniunt. Primo enim actu, ut fieri solet, de argumento exponitur; secundo parasiti reditus et fallaciae lenoni intendendae consilium tribuitur; tertius, quomodo parasitus rem suam gesserit, ostendit; quartus militis adventum

eiusque cum trapezita et cum lenone iurgia continet; in quinto denique catastrophe est, sive, ut Donati verbis utar, conversio rerum ad iucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum. Sed ut ad locum nostrum redeam, quum vix credibile sit, per breviusculae scenae, quae viginti quattuor versus complectatur, intervallum lenonem sacra facere potuisse, quae facturus IV, 2, 46 scenam relinquat, tum plane cogitari nequit, quomodo fiat, ut Lyco, qui IV, 2, 40 domum abiit, iam post sex versus a Cappadoce pronunciatos denuo scenam ingrediatur, et cum milite vehementer irato verba faciat; quum et quomodo et quando is Lyconis aedes intraverit, explicatum non habeat. Necessarium igitur videtur, u post abitum lenonis, IV, 2, 46, pausa constituatur, per quam sacrificet ille, Lyconi autem occurrat miles, cum quo litigans prodeat IV, 3. Ceterae actuum et scenarum divisiones quum recte se habeant, eius personae brevis mentio fiat, cuius a monologo quartus vulgo incipitur actus: choragum dico; cuius in aliis fabulis partes fuisse quum nullum exstet vestigium, facile suspicio movetur, explendi tantum temporis spatii causa eum a poeta loquentem factum esse, quod intercesserit necesse fuit inter abitum et reditum Curculionis et lenonis, puellam arcessentium. Quod verum esse, ipsius verba IV, 1, 5 *„sed dum hic egreditur foras, Commonstrabo* e. q. s.“ et illud, quod nihil ad fabulae argumentum eius oratiuncula pertinet, satis demonstrant. Hunc potissimum locum respexisse videtur *Wolffius*, qui diss. II. p. 21. adn. non raro evenisse notat, (quod ipsum primum vidisse gloriatur) „ut inter tibiarum cantum, qui inter actum et actum interiiceretur, sermones aut cantica interposuerit Plautus, quae Graecorum *παραβάσεως* comicae non prorsus dissimilia fuerint.“ Quodsi in eo hanc similitudinem positam esse censet, quod ad populum loquentem fecerit poeta personam, concedo; de alia autem similitudine cogitari non potest, quum rebus publicis tractandis vel adeo commemorandis, quo Aristophanes soleat modo, omnino abstinuerit comoedia Romana. — Nolim videri lon-

gior, sed tamen, quum in *Wolffii* errores sermo inciderit, silentio non praetermittenda videntur, quae minus recte de tertii Asinariae actus initio contendit. Verba eius haec sunt (diss. II. p. 21): „Similis difficultas reperitur III, 1. Cleae-„reta, quae I, 3, 89 suam intravit domum, hic cum Philenio „exit, eamque III, 1, 39, aut rursus intrare iubet, et ipsa ne-„scio quo abit, aut, quamquam hoc, quum deinde cum Argy-„rippo libere in scenam denuo ingrediatur puella, parum mihi „placet, in aedes secum reducit. Cum hac igitur Philenio III, „2, 39 ex Cleaeretae domo egreditur Argyrippus, neque, quo-„modo is intraverit, intelligitur. Equidem de hoc loco sta-„tuendum iudico, ut inter II, 4, 96 et III, 2, 1 cantus fuerit „tibiarum, in quo medio cantu prodeunt Cleaereta et Philenium „III, 1; quibus e scena digressis iterum tibiae canere inci-„piunt, et intra hoc temporis spatium ex sua domo ad ami-„cam transire potest Argyrippus.“ Licet *Wolffio* concedamus, potuisse fieri, ut ad tibiarum cantum inter actus cantica saltata sint; quamquam id factum esse certis argumentis probari non potest; minime tamen nobis persuadebit, eodem modo et diverbia pronunciata esse. Neque necesse quidem erat, ut ultimum experiretur; nam si Argyrippo licitum erat, tacito inter tibiarum cantum ex sua domo ad amicam transire, qua de causa inter Leonidae Libanique colloquium minus licuerit?

Casina.

Actuum divisio in hac fabula nihil habet offensionis; de scenis tantum notandum est, sextam et septimam secundi actus in unam coniungendas esse, quum e quattuor, quae II, 5 locutae sint, personis unus remaneat Chalinus, et de iis, quae modo facta sint, verba faciat. Gravissimis autem lacunis laborare Casinam quum eae indicio sunt, quae in quinto actu mutilae reperiuntur versuum reliquiae, tum etiam id, quod plane verisimilitudini repugnat, Stalinonem, postquam III, 1, 16 de scena in forum processerit ibique causam egerit, post

triginta duo versus complectens Alcesimi et Cleostratae colloquium denuo scenam ingredi. Unde cum *Ladewigio* (nov. Mus. Rhen. phil. III. p. 192) post III, 1, 16 nonnulla excidisse suspicor.

Cistellaria.

Lacunosissimam esse ex omnibus Plauti fabulis cum Truculento Cistellariam nostram non solum singulae actionis partes multis locis male inter se cohaerentes, sed etiam copia fragmentorum satis ostendunt, quae, a grammaticis laudata, in nostra non leguntur [11]. Et integer quidem primus tantum actus servatus videtur; statim quae sequitur, primam actus secundi scenam diversarum scenarum partibus compositam esse recte *Ladewigius* vidit l. l. p. 529. Quartus actus cum tertio ad unum coniungendus est; nam quum III. extr. Halisca, Alcesimarchi minis perterrita, cistellam in platea amisisset, veri est absimile non eam a praetereuntibus repertam esse, antequam Lampadio in scenam prodiisset IV, 1. In quinto denique actu brevissimo et iusto citius ad finem properante permulta excidisse non opus est dicere. Laudabili studio nec sine veritatis specie explicandi ordinis ac processus actionis periculum fecit *Ladewigius*, l. l. p. 530. cui non dubito in summa assentire. Ut autem significetur, ubi mea quidem ex sententia deperditae fabulae partes locum suum habuerint, quae supersunt, in hunc modum disponenda existimavi:

I. = I, 1. I, 2. I, 3.
II. = II, 1, 1—15. .·. (frgm. ab A. Maio detectum).
III. = .·. II, 1, 16—59. II, 2. II, 3. .·.

---

11) Quorum fragmentorum plurima Scaligeri coniectura commoti ad *Clitellariam* quandam Plautinam fabulam retulerunt viri docti; quam numquam exstitisse *Ladewigius* in novo Mus. Rhen. philol, t. III. p. 525 sqq, et *Ritschelius* parerg. Plaut. p. 159 sqq. probabiliter docuerunt.

IV. = .·. III. IV, 1. IV, 2.
V. = .·. V. .·.

Epidicus.

Eleganter composita haec fabula, cuius laus apud ipsum auctorem exstat Bacch. II, 2, 36, implicatius habet argumentum, unde actus internoscere in ea difficilius est. Et accuratius quidem in illud inquirentes, quae primo et secundo actu continentur, singulis actionis partibus respondere videmus. Minus recte quartus a IV, 1 incipitur; nam III, 2, 41 Epidicus abit fidicinam conducturus, qua ad decipiendum senem adiutrice utatur; ea autem iam III, 3, 13 ab Apoecida adducitur, ita ut ad conducendi edocendique negotium perficiendum perbreve sedecim versuum temporis intervallum relictum sit servo. Necessarium igitur est, ut post III, 2, 45 actus tertii finis constituatur, ut et verisimilitudini satisfiat, et integram actionis partem quartus actus complectatur, in quo utramque servi fallaciam in lucem proferri conspiciamus. Verum esse, quod supra dictum est, in describendis scenis certam regulam constanter observatam in codicibus non animadverti, luculento indicio est scena tertia actus secundi comparata cum versibus inde a I, 1, 75 ab Epidico pronunciatis.

Mostellaria.

In hac fabula hilaritatis et festivitatis plena, II, 1 actuum mutatio nullo modo locum habere potest. Non enim rationi convenit, immo prorsus ineptum est, quum ad mensas iam accubuerint Philolaches eiusque convivae, I, 4, interiecto non parvo temporis spatio, dum commutentur actus, II, 1 demum a Tranione obsonium apportari; quo accedit, quod ne vacua quidem scena est, ubi nunc primi actus finis constituitur. Duo alia sunt loca, quibus aptissime actus primus finiri possit; alter est I, 1, 80, post abitum servorum; alter II, 1, 83, post-

quam comissatores intus se receperunt, Tranio autem, senis adventum exspectaturus, se abscondidit. Quorum quidem hic minus probandus videtur, quum omnino contra morem sit in componendis fabulis Plauto usitatum, tantum spatii primo actui concedi, quantum complecteretur in nostra fabula, si a II, 2 demum secundus inciperetur actus. Ést enim primus actus, sive in Graecis fabulis *πρότασις* initium dramatis, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur, ad populi exspectationem tenendam; (Donat. comment. de trag. et com.) edocemur in eo, quantum necesse sit, de moribus personarum et de conditionibus, in quibuu versentur, relictis erroribus et turbis et actione mediis fabulae actibus, quinto denique catastrophen continente. Praestat igitur secundum actum a I, 2 incipere; quamquam obstare videtur, quod Grumio I, 1, 79, dicit:

. . . . „*eccum* herilem filium
„Video corruptum hic ex adulescente optumo."

Nam '*eccum*' voc. plerumque de iis usurpari, qui iam in scena agentes, aut advenientes conspiciantur, quum negari non possit, ex hoc loco concludendum videatur, statim post servi abitum Philolachetem intrare debere, neque de intervallo ibi cogitari posse. Exstat autem locus apud Plautum Rud. IV, 4, 130:

„Ego sum Daemones, et mater tua ecca hic intus Daedalis"

qui ad verbum fere in nostrum quadrat, demonstratque, etiam de iis '*eccum*' voc. usurpari, qui non solum in scena sint, sed a loquente persona ne possunt quidem videri. Quod autem dicit Grumio, „eccum herilem filium *video* corruptum e. q. s. eo valere censeo, ut dicere velit, intelligere se corruptum esse illum, non corruptum illum se conspicere advenientem. Nihil igitur impedimento est, quominus in hunc modum fabulae initium disponamus.

I. = I, 1.
II. = I, 2. I, 3. I, 4. II, 1.
III. = II, 2. III, 1. III, 2.

Post hanc enim scenam intervallum locum habeat necesse esse, ut satis sit temporis Theuropidi et Tranioni ad inspiciendas Simonis aedes, Bothius quoque vidit. Quae nunc sequuntur usque ad V, 1, quarto actui sunt tribuenda; in iis autem, traiectis codicum foliis, scenarum ordo valde turbatus est. Magnam quidem operam neque omnino frustrariam Camerarius restituendae pristinae huius loci formae navavit; sed *Ritschelio* demum contigit, ut, duce Ambrosiano codice, doctissima „de turbato scenarum ordine Mostellariae Plautinae" dissertatione (parerg. Plaut. I. p. 433 sqq.) ad sanam maxima ex parte formam locum illum revocaverit. Ecce, quantum huc spectet, summam disputationis: finito III, 2 tertio actu, quartus incipitur a IV, 1, quibuscum ad unam scenam coniungenda sunt, quae leguntur IV, 2, 1—23; deinde ab ingressu Theuropidis et Tranionis, qui e Simonis aedibus (III, 2, extr.) in proscenium redeunt, nova scena incipienda est, complectens III, 3, et IV, 2, 24 sqq., in qua, Tranione dimisso, ab hoc verba sibi data esse e servis aedes suas pultantibus senex comperit; quod magis sibi persuasum habet, quum in sequente scena IV, 3 a Simone de vero rerum statu edocetur. Sequitur deinde, interiecta pausa, quintus actus, cuius initium inde a V, 1 recte constitutum est.

In *Mercatore* nusquam video actuum aut scenarum divisionem emendatione carere; de additis quarto actui scenis, quae *Niebuhrius* ad Plautinam aetatem referre aggressus est, vide, quae dicant *Bothius* in editione sua Plauti a. 1811, tom. IV, p. 414, et *Ritschelius* parerg. Plaut. I, 399 et 600.

Idem dicendum est de *Poenulo*. Haec autem fabula ut interpolationibus non vacare credatur, facile nos commoveat persona militis, quum is et nomen habeat omnino non militare, et moribus utatur, quales nulla in fabula eiusmodi personae tribuantur. Nam gloriosi quidem et grandiloqui et lascivi ubique

milites describuntur, sed turpe atque inhonestum facinus nusquam eos committere videmus, quale furtum est, cuius reus noster invenitur V, 5. Unde non prorsus reiicienda videatur suspicio, non ab ipso Plauto illud quidem profectum esse, quod tam indignum ordine suo committit Anthemonides; quum totas eius partes posteriore tempore additas putari prologi vss. 102 et 103 vetent.

Persa.

Vitiosum in hac fabula est quarti actus initium. Nam postquam III, 3 Toxilus lenoni argentum solvit pro amica sua, iubet eum statim per hortum in suam domum transmittere puellam, et cunctantem his verbis impellit: „dum stas, reditum oportuit,“ quibus una dicere voluisse mihi videtur, se eius reditum exspectaturum. Nulla est causa, cur hic Toxilum quoque scenam relinquere putemus; immo eum remansisse ex verbis IV, 3, 14—21 consequitur; certo enim, si abiisset, ipse revisisset, num mandata exsecutus esset leno, neque opus habuisset, tot verbis id eum interrogare. Est igitur incipiendus quartus actus inde a III, 2; quo fit, ut et optime inter se cohaereant omnes, quae sequuntur, scenae, usque ad actus finem, et integram et in se clausam actionis partem actus complectatur. — Quamquam non false trium, qui antecedunt, actuum constituti sunt fines, probabilior tamen mihi videtur ea eorum divisis, ut primo I, 1. secundo I, 2, I, 3. et II, 1. II, 2. tertio II, 3. II. 4. II, 5 et III, 1. tribuantur.

Rudens.

Nihil invenio in hac fabula, quod emendatione careat, nisi forte quintum actum inde a IV, 8 incipi malis, ut plus sit temporis, ad arcessendum herum Trachalioni. — Notanda est negligentia poetae, qui IV, 5, 8 et IV, 6, 10 Daemonem

de Pleusidippo tamquam cognato suo loquentem facit, quem I, 2 ut ignotum et peregrinum allocutus sit.

Truculentus.

In hac fabula, quam lacunosissimam nobis traditam esse qui obiter tantum legerit, facile intellexerit, continuandum esse primum actum usque ad II, 4 extr. iam Bothius vidit. Nam I, 2, 106, ubi vulgo primus actus finitur, Astaphium in scena remanet, quod primis, quae in sequente scena loquitur verbis, satis demonstratur; (quare ex I, 2 et II, 1 una scena fiat necesse est) neque est ante II, 4, 93 ullus locus, ubi et scena ab omnibus personis vacua reperiatur, et actionis intercapedo statui possit. Secundo actui reliquae quattuor scenae tribuendae sunt, quae in vulgata recensione inscribuntur II, 5. II, 6, II, 7. II, 8. neque minus, quae nunc complectitur tertio. Quartus actus quin omnes, quae supersunt, reliquas fabulae scenas complexus sit, non dubito; excipit enim sine intervallo, qui in editionibus quintus inscribitur actus, extremam quarti scenam; quod luculente ostendunt Astaphii verba IV, 4, 37: „adest pueri,“ ubi '*pater*' subaudiendum esse in oculos incurrit. Quod quum senserit Bothius, eo magis miror, quod a sequente scena novum actum incepit. Quintum Truculenti actum deperditum esse censeo; quod maximopere dolendum est, quum e Ciceronis verbis (de senect. e. 14.) concludere liceat, e praestantissimis aliquam eam fuisse fabulis.

Abundare autem Truculentum lacunis, vel ex ipso titulo perspici potest. Quamquam enim in scena II, 2 non indignum hoc cognomine se praebet Stratilax, tamen difficile est ad credendum, ab hac una scena fabulam nomen invenisse. Deinde etiam, si ad argumentum spectas, ostendi debuit, quibus de causis naturam servus mutaverit, quod factum III, 2 miramur. Porro, quod modo dixi, quintum me fabulae actum deperditum esse existimare, iis firmatur, quae a Donato ad Adelph. V, 9, 29 notata leguntur: „Quod te isti facilem et fe-

„stivom putant]. Bene in postremo dignitas personae huius „servata est, ut non perpetuo commulata videretur: ut *Tru-„culenti apud Plautum.*“ Unde illam naturae mutationem simulatam fuisse colligi potest. Neque Strabacis patris, cui meretricum facta denarraturum se profitetur Stratilax II, 2, 53, partes in nostra fabula fuisse aegre mihi persuaserim.

Ceterum, qui volet, ad explendas fabulae lacunas, si Dis placet non sine fructu Menandriae *Θαΐδος* fragmentis utatur, e qua Truculentum expressam esse quum argumentorum similitudine comprobatur, tum eo, quod frgm. III: „*τὸν μυὸς ὄλεθρον*,“ proverbii scilicet loco usitatum, non prorsus dissentit a Phronesii verbis IV, 4, 15, per similia de se loquentis.

Haec habui, quae pertractarem; in quibus quum semper rectum me vidisse non ausim praedicare, tamen non omnino perdita esse oleum atque operam, ut iudicent viri docti, penes quos est arbitrium, spero atque confido.

V i t a.

Natus sum *Gustavus Schmitz* anno huius saeculi vicesimo nono Altenae Guestphalorum, patre *Guilelmo*, matre *Carolina* e gente *Goecke*, quos adhuc vivere laetor quam maxime. Primis litterarum elementis Tremoniae imbutus, gymnasium, quod ibi *B. Thierschio* directore floret, per septem annos frequentavi. Relicta autem illa urbe, ubi decem annos commoratus eram, a. MDCCCXLVI cum familia huc me contuli et primae classis gymnasii, tunc *Biedermanni*, nunc *Schopeni* VV. Cll. auspiciis florentis, per octodecim menses fui sodalis; unde, cum testimonio maturitatis dimissus, mense Octobri a MDCCCXLVII a *Ritschelio* V. Cl. rectore magnifico civium academicorum numero adscriptus sum, antiquarum litterarum studio operam daturus. Per quadriennium scholis interfui VV. Cll. *Ritschlii*, *Welckeri*, *Schopeni*, *Aschbachii*, *Loebellii*, *v. Calkeri*, *Kinkelii*, *Bernaysii*, quibus omnibus maximas, quas debeo, ago gratias. Summae autem qua me adiuverunt *Ritschelius* et *Schopenus* benignitatis et humanitatis, dum vita suppeditat, gratissimam et piissimam servabo memoriam.

Theses.

I. *In philologia summum est intelligere.*

II. *Plauti Truculentus expressa est e Menandri Θαΐδι.*

III. *Exodia non fuerunt proprium genus fabularum.*

IV. *Plauti Trucul. I, 1, 8 pro „quot sui pericla amanda“ legendum est: „quot subeunda pericla.“*

V. *Cic. Brut. c. XII. §. 46 pro „de scripto“ legendum est „descripte.“*

VI. *Plautus non imitatus est Epicharmum.*

VII. *Locum Plaut. Epid. III, 3, 3 sq., transposito versu 12, sic restituo:*

Sed et hóc fuit conducíbile mea senténtia
Si qui perspicere póssent cordis cópiam
Igitúr perspicere ut póssint cor sapiéntiae.